

ipsius festum sub ritu dupl. 1. cl. celebrare cum octava, quaeritur: an verba illa Rescripti Apost.: *ad totum Clerum*, complectantur Regulares, ita ut ipsi sine alio Indulto possint et etiam debeant illud festum celebrare?

Et Emi ac Rmi P. S. tuendis Ritibus praepositi . . . rescribendum censuerunt: „Juxta Votum Magistri Caeremoniarum in omnibus“ videlicet:

„Negative juxta Indultum sa. me. Pii Papae VII.“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt die 16. Apr. 1842 n. 4941 ad 6.

Regul. non tenentur ad Offic. alterius Dioecesis, vd.: *Patronus loci* (Oblig. Regul., decr. n. 4729).

c) Non est Obligatio.

Ad dubium: An Officium s. Turibii Episc. et Patroni dioecesis Astoricensis, quod fixum est fer. 2. post dom. in albis, quodque eodem die in Oppido Villafranca recitatur cum obligatione audiendi Sacrum, debeat sub ritu dupl. 1. vel 2. cl. celebrari cum Octava?

S. C. resp.: Cum Capitulum (Colleg.) Oppidi Villafranca modo minime pertineat ad Dioecesim Astoricen., sed Nullius sit, omittere debet Officium s. Turibii Ep., ut proprium ejusdem Dioecesis Astoricen., cujus est principalis Patronus. n. 4542 ad 7 die 30. Sept. 1817.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Cum Capitulum de Villafranca nullius sit Dioecesis nec ullam habeat relationem ad Astoricensem, non tenetur nec potest celebrare festum s. Turibii Episcopi tamquam Patroni principalis ejusdem Astoricensis Dioecesis. Quoniam vero ex dubio discimus ejusdem s. Turibii festum affixum esse feriae secundae post dominicam

in albis, e re nostra ducimus hic recolorere, quae S. R. C. nuperrime declaravit tam in causa *Tuden.* quam in *generali Decreto* relate ad festum *Annunciationis B. M. V.* transferendum in dictam feriam 2., aliquando quoad chororum et forum, quandoque quoad chororum dumtaxat, juxta diversas occurrentias. Cum enim decisum fuerit per modum regulae generalis, quod, translato festo Annunciationis ad feriam 2. post dominicam in albis simul cum praecepto audiendi Sacrum et abstinendi a servilibus, huic cedere debeant festa etiam altioris ritus Patroni principalis, Titularis vel Dedicationis Ecclesiae, maxime decet, ne illi feriae fixe assignetur ulla ex his solemnioribus festivitatibus; immo expedire videtur, ut si aliquod festum ritus dupl. 1. vel 2. cl. illi affixum reperitur, veluti in casu proposito illud est s. *Turibii* Episcopi in Dioecesi Astoricensi, exhibeantur preces S. R. C. pro perpetua commutatione diei. Ita a monachis Cassinen. provisum fuit festo s. *Benedicti*, quod occurrens in maj. hebd. reponeretur in fer. 2. post domin. in albis; verum ad evitandum occursum cum translatione festi *Annunciationis B. M. V.* ex indulto s. m. *Benedicti XIII.* et decreto S. R. C. in *Fulden.* 6. Sept. 1747 modo transfertur ad fer. 3.

Ad dubium: Civitates et Oppida, quae jam habent Patronum principalem, debentne aut saltem possunt continuare celebrationem Protectoris principalis Dioecesis sub ritu dupl. 1. cl. cum octava et cum obligatione utriusque praecepti ex consuetudine?

S. C. resp.: „Affirmative ad primam partem seu continuationem Officii, negative quoad secundam seu quoad obligationem utriusque praecepti juxta Decreta alias edita.“ n. 4669 ad 41 die 12. Nov. 1831.

Ad dubium 1.: An Ficienses, qui proprium Patronum habent, teneantur die festo s. *Genesii M.* totius Dioecesis Patroni audire sacrum, quemadmodum ad hanc usque diem audierunt?

2. An teneantur recitare Officium s. *Genesii M.*?

3. An Officium ipsius Martyris recitantes debeant illud colere eodem ritu octavamque servare, quam Dioecesis universa servat et ipsi hucusque servarunt?

S. C. resp.

ad 1.: Negative;

ad 2.: Negative; posse tamen et debere recitare Off. s. *Genesii*, attenta consuetudine sub dupl. maj. tant.;

ad 3.: Negative et provisum in secundo.

Die 17. Septbr. 1828 ad 1. 2. 3. In s. *Miniatis.*

d) Utrum in Suffragiis dicendus?

De Patrono Dioecesis fieri potest Commemoratio inter communia Sanctorum suffragia, sed minime cogendos, qui recusaverint. n. 1789 die 8. Apr. 1656.

Cf.: *Suffragia.*

e) Vigilia cum Jejunio.

Vd.: *Patronus civitatis* (Vigil. cum Jejunio, decr. n. 4611.).

8) Ecclesiae.

(Translatio.)

Vd.: *SS. Sanguis J. Chr.* (transl. decr. n. 5025); *Patron. paroch.*; *Off.* (oblig. ad quod; decr. n. 4985.)

Ad dubium: Dicitur respons. sequens ab EE. Card. Caprara pro tempore Legato a latere datum fuisse dubio: Si in unam eandemque dominicam incidat solemnitas translata tum anniversarii Dedicat. tum Patroni, ea solemnitas celebranda erit de digniori,

scilicet de dedicatione, translato minus digno, idest Festo Patroni, ad primam dom. non imped. juxta rubricas. An id responsum sit authent. et applicandum similibus?

S. C. resp.: Juxta Instructionem a Card. Legato a latere datam.

Die 23. Maii 1835.

9) Electio.

Cf.: *Titularis* (electio); *Patron. princip.* (Estne fest. de praecepto?)

1. Eligi possunt in Patronos locorum ii solum, qui ab Ecclesia universali titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati dumtaxat.

2. Electio Patroni *Civitatis* fieri debeat a populo mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum et accedere debeat consensus expressus Episcopi et Cleri illius civitatis.

3. Idemque servari debeat in Patrono *Regni*, qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum Provinciae, non autem a repraesentantibus regnum nisi ad hoc habeant speciale mandatum et pariter cum consensu Episcopi et Cleri dictarum civitatum*).

4. *Causae electionis* novorum Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari. n. 852 die 23. Mart. 1630.

Non posse ab Ordinario ignorari, quod nullatenus liceat electionem s. Patroni a populis olim habitam de consensu Cleri et Episcopi et vel ab apost. sede approbatam aut legitimi temporis observatione munitam immutari. n. 1881 die 6. Apr. 1658.

Non licuisse eligere in Patronas s. spinas Coronae D. N. n. 2964 die 20. Sept. 1681.

Vd.: *S. Philippus Neri.*

pro populo et S. S. annuit pro absolute quoad praeteritum.

Die 22. Mart. 1817 in *Camerin*.

Si in locis Dioecesis nullus reperitur electus Patronus, tenetur Dioecesis non solum ad Festum de Patrono Civitatis, sed etiam ad Octavam: S. R. C. 28. Sept. 1658.

d) Oblig. Regul. ad Off.

Vd.: *Regulares* (Off.; decr. n. 4608 nota); *Compatronus* (oblig.; decr. n. 5042); *Titul. Cathedr.* (Oblig. ad Off. decr. de die 10. Julii 1687.)

Moniales locorum Ordinariis subjectae tenentur recitare de Patrono principali loci non vero de octava, nisi id specialiter ipsis indultum sit vel ex vi Concessionis apost. vel propriae Constitutionis ab ap. Sede approbatae. n. 4162 die 22. Aug. 1744; n. 3040 ad 6 die 20. Novb. 1683; n. 1517 die 2. Julii 1644; 11. Febr. 1702; 20. Mart. 1683.

Disponente S. R. C., quod Regulares de octav. Patroni princip. non tenentur, quaesitum fuit an ly: non tenentur, excludit etiam „ad libitum.“

S. R. C. resp.:

Excludi etiam ad libitum et non posse nisi id specialiter ipsis Regul. indultum fuit ex vi Concessionis apost. vel Constitutionis Religionis ab apost. Sede approbatae.

Die 20. Mart. 1683 in una *Ord. Minor. Obs.*

Ad dubium: An Regulares terrae S. Geminiani ad octavam ejusdem S. Patroni princip. teneantur, quinquaginta aut sexaginta ab hinc annis omisam?

S. C. resp.:

Negative.

N. 4605 ad 3 die 27. Mart. 1824.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Non video, curnam hoc dubium discussioni propositum fuerit, postquam

S. R. C. centies sanciverat, Regulares teneri quidem ad officium Patroni principalis Civitatis vel loci, sed sine octava. Rogata namque sub die 22. Junii 1630: *Quomodo concurrere debent Regulares in celebratione Festi Patronorum et Titularium Cathedralium, locorum circa Officium et Missam?* respondit: *Regulares in Festis Patronorum seu Titularium Cathedralium, locorum debere celebrare sub ritu duplici Officium cum Missa, prout celebratur in dictis Cathedralibus, ipso tantum die Festo et non Octavas: et ita per quoscunque Regulares servari debere declaravit.* Ita etiam in una Pistoriensi 27. Martii 1628. In Baren. 28. Martii 1647. In Neapolitana diei 19. Aprilis 1687 et aliis quamplurimis, quae brevitate gratia omittuntur. Proposito autem dubio simillimum illud est, quod declaratum fuit a S. R. C. in Panormitana 10. Septb. 1741. Cum enim expositum fuerit S. R. C., Clericos Regulares Theatinos Panormi per saeculum et ultra consuevisse Patronorum civitatis Festum peragere cum Octava, quae postmodum per annos septem intermissa fuerat, ac propterea exorta inter eosdem quaestione: an iterum intercepta Octava esset reasumenda, quod faciendum aliquibus videbatur, eo praecipue: *Perchè li medesimi si servono del Calendario, di cui si vale il Clero secolare di Città; ideo eadem S. C. rogata a volersi denare di dichiarare, se detti Religiosi scano tenuti di celebrare li predetti Uffizi, e Messe de' Santi Protettori colle loro rispettive Ottave,* sub die 10. Septembris 1741 respondit: *Regulares non teneri ad recitationem Officii de Octava Patroni loci vel Titularis principalis.* Igitur, si non tenentur ad Octavam Regulares, qui eodem Calendario utuntur, quo utitur Clerus saecularis, etiamsi per saeculum et ultra de ea facere consueve-

rint, multo minus eam celebrare debent, imo nec poterunt Regulares, qui Calendarium habent a dioecetano diversum. Dixi, nec poterunt et jure dixi. Illud enim non teneri, non tenentur, idem sonat ac non debere, non posse, non debent, non possunt. Ita expressio illa, quae in praefatis Decretis occurrit, intelligenda est, ut nec facultatem relinquant peragendi Octavam ad libitum. Non arbitraria est nudaque opinio hujusmodi interpretatio: quippe talem esse eadem S. C. declaravit, dum ad quaesitum hisce verbis expressum: *Disponente* (S. C.) *quod Regulares ad Octavam Patroni principalis non tenentur: an ly non tenentur excludat etiam libitum, ita ut Regulares non possint de dicta Octava recitare, si velint?* sub die 20. Martii 1863 in una *Ordinis Minorum de Observantia* respondit: *non posse, nisi id specialiter indultum fuerit ex vi concessionis Apostolicae vel Constitutionis Religionis a S. Sede approbatae: vide Cavalerium tom. 1. cap. 3. decret. 9., Gavantum ad Rubricas Breviarii sect. 3. cap. 12. n. 5., ac Meratum ibidem n. III. Patet igitur ex his Regulares in Terra S. Geminiani commorantes vel Calendario Dioecetano utentes vel Religionis proprio nec teneri nec posse reassumere interceptum usum protrahendi Officium de Patrono principali ad Octavam, sed debere se conformare Decretis supra relatis; ideo S. C. proposito dubio respondit: Negative.*

Regulares non teneri ad recitationem Officii de octava Patroni loci. n. 4121 die 16. Septb. 1741; 20. Mart. 1683.

Ad dubium: Occurrente pridie Kal. Jul. Officio ritus dupl. maj. an peculiaris Rubrica in Breviario apposta: *Transferatur in primam diem infra Oct. Dominica vel Festo non impediam,* respiciat commemorationem S.

Decreta authentica, Tom. II.

Pauli, quae ritu tantum gaudet dupl. min. vel potius intelligenda sit de dupl. maj. translato?

S. R. C. rescribendum censuit:

„De occurrente tantum esse intelligendam.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5116 ad 4.

Die 11. Sept. 1847.

Ad dubium: Quomodo in Constitutionibus Congreg. Clericor. regul. s. Pauli Barnab. a S. S. approbatis PP. teneantur celebrare Octavas S. Patroni loci, in quo morantur, quaeritur: an celebrare teneantur omnes Octavas, quae servantur in locis, ubi plures sunt Patroni?

Emi et Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative si liquide constet de legitima plurium Patronorum principalium Officii celebratione.“

N. 5230 ad 4 die 29. Nov. 1856.

Ad dubium: 1. An Regulares intra fines degentes Archidioecesis Dublinen. teneantur recitare Officium Sancti Patroni alterius Dioecesis Archidioecesi Dublinen. unitae? Et quatenus affirmative;

2. An debeant hoc Festum celebrare sub ritu duplicis primae aut secundae Classis? Et eadem Sacra Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii rescribendum censuit

Ad 1.: „Juxta Rubricas et Decreta alias edita teneri Regulares ad Officium praecipui Patroni loci, in quo commorantur.“

Ad 2. „Juxta eadem Decreta sub eodem ritu, sed sine Octava.“

Et ita rescripsit.

Die 26. Aprilis 1834. n. 4729.

e) Non est Oblig. ad Off.

Vd.: *Patronus civitatis; Festum Cathedr.; Compatronus; Epiphania* (octava.).

Ad dubium: An sub nomine Patroni loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII.

tenemur (Capuccini Galliae) recitare Officium sub ritu dupl. primae clas., veniat etiam Patronus parochiae, in qua commoratur? Et si sub hoc nomine comprehendatur: An, ubi Ecclesia parochialis dedicata est in honorem et memoriam plagarum Jesu Chr. vel Dolorem Bnae Virginis, debeamus de his recitare Officium, cum de his nullum est in Breviario Romano?

Et S. eadem R. C., referente Emo et Rmo Domino Card. Colloredo, respondendum censuit:

„Negative.“

Et ita declaravit. n. 3740 ad 4 die 14. Febr. 1705.

Ad dubium: In Collegio Frohnleitensi nostri Patres simul administrant Ecclesiam Adriachensem, quae Ecclesia aliquando Parochialis spatio quadrantis horae a nostra Ecclesia Frohnleitensi nunc parochiali remota, in illa lugubri Ecclesiarum, ut priori saeculo videbatur, superfluarum destructione, a Colonis empta hucusque maxima cura et non paucis expensis ab iisdem conservatur et non habens proprium Sacerdotem, nostrae dispositioni et administrationi plane relicta est; et revera ibidem quam frequentissime a Nostris concionatur, Sacramenta administrantur et Missae leguntur. Quaeritur: num etiam hujus Ecclesiae Patronus S. Georgius Martyr a nostris Patribus licite sub ritu dupl. 1. cl. cum Octava celebretur?

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Negative.“

Atque ita rescripsit, ac servari mandavit a Patribus Cong. SSmi Redemptoris extra Italiam et in Dominis Austriae Domus degentibus. n. 4842 ad 9 die 1. Septb. 1838.

f) Sensus verbi „loci.“

Ex variis Decretis S. R. C. Regulares tenentur ad Festum Patroni prin-

cipalis loci et titularis Ecclesiae Cath. atque Protectoris Civitatis sine Octava; sed in praedicta Cong. movetur dubium circa sensum hujus vocis *loci*. Juxta quosdam idem sonat ac Dioecesis, juxta alios vero idem ac Civitatis et Oppidi; denique juxta nonnullos etiam pagi.

1. Quenam ex illis sententiis amplectenda?

2. Quid intelligendum pro Protectore Civitatis?

3. Patronus pagi idemne est ac Patronus parochiae, quum in Gallia Pagus et parochia indiscriminatim sumantur ad designandam aliquot domorum vicinitatem, intra quas reperitur Ecclesia, cui Parochus deservit: ita ut Regulares in Pago degentes non teneantur ad Festum Patroni Pagi, sicut non tenentur ad Festum Patroni Parochiae:

Et S. eadem C. ... rescribendum censuit:

„Quoad primam quaestionem intelligendus est praecipuus Patronus tantum vel Dioecesis, si habeatur, vel Oppidi similiter.“

„Quoad secundam quaestionem, ut ad proximam.“

„Quoad tertiam Negative ex decis.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4909 ad 2 die 12. Septb. 1840.

Quaesitum fuit: an sub nomine Patroni loci veniat etiam Patronus parochiae, in qua commorantur Regulares?

S. R. C. resp.: Negative.

Die 14. Febr. 1705 in una Ord. Capuc. Galliae.

Regulares tenentur Officium recitare de Patrono principali *loci*; dubitatur: an sub *ly loci* comprehendatur etiam Patronus princ. *Regni vel Provinciae*?

S. C. resp.: Comprehendi etiam dictos Patronos, si liquido constet de concessione apost. n. 3019 ad 7 die 20. Mart. 1683.

Hoc decretum comprehendit etiam Moniales Ordinariis subjectas. n. 3617 ad 1 die 11. Febr. 1702.

g) Translatio.

Curatus quidam, exponens Festum Patroni loci cadere in Vigilia s. Bartholomaei et ob id jejunium a populo non servari, pro quo servando petiit Festum Patroni transferri quotannis in dominicam primam immediate sequentem.

S. C. resp.: Posse concedi quoad translationem petitam tantum, nulla facta alteratione Officii et Missae in die proprio, quo cadit. n. 1023 die 21. Julii 1635.

Vd.: *Patronus princip.* (transl. Festi.)

h) Ubi proprius non est.

Vd.: *Patronus Dioecesis*, (oblig. ad Off. decr. n. 4553 ad 12; n. 4611); *Patron. loci* (oblig. Cleri saec. ad Off. decr. n. 4605 nota circa fin.).

Festum praecipui Patroni Dioecesis servandum sub praeepto in locis, in quibus non habetur specialis Patronus a S. Sede confirmatus. n. 5207 ad 1 die 12. Aug. 1854.

12) Ordinis.

a) Electio.

Cf.: *Apparitio s. Michaelis arch.*; *Calendarium Congreg. ss. Redempt.* (decr. n. 4581 ad 2); *Patronus* (electio).

b) Ritus Festi.

Sub quo ritu debeant Regulares, quorum Religio divisa est in plures Provincias pro illius faciliiori et strictiori regimine, facere Officium Sancti, quem sibi elegerunt pro Patrono suae Provinciae a principio erectionis illius, an sub ritu duplici primae classis et cum octava, an sub ritu simpliciter duplici, an vero sub ritu tantum semiduplici?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi et Rmi D. Card. S. Clementis respondendum censuit sub die 10. Junii 1710:

„Negative.“

13) Parochiae.

(Obligatio ad Officium.)

Abbatia s. Bernardi sita est intra limites parochiae ruralis de Bonhem, cujus Ecclesiae titulus est B. V. M. ad s. Leodegarium. Quotannis fer. 2. post festum SS. Rosarii celebrat. festum s. Leodegarii a clero cum officio ritus dupl. I. cl. cum octava; a populo tanquam festum in devotione sed non sub praeepto ducitur; unde quaeritur: an monachi abbatiae teneantur in dicta fer. 2. recitare Off. de s. Leodegario?

S. C. resp.: Negative sed teneri ad Off. Patroni dioecesis.

Die 27. Febr. 1847. *In Mechlinien.*

Cum Patronus Paroeciae seu titularis Ecclesiae parochialis colendus sit ab omni Clero illi Ecclesiae adscripto ritu dupl. primae class., ut optime eruit Gavantus ex Rubrica 7. generali de Octavis n. 1. et ex Rubrica 9. de commemorationibus, quaeritur: Num Patronus seu titularis cujuslibet Ecclesiae parochialis dioecesis Tuden. supradicto ritu coli debeat etiam in Paroeciis noviter erectis et in posterum erigendis, licet nomen Patroni seu titularis minime inveniatur nec in calendario Romano nec in Martyrologio, dummodo in aliquo pago, sacello hujus dioecesis cultu religioso colatur et ex consuetudine immemorabili sit titularis alicujus Ecclesiae vel capellae? Et si negative, pro gratia supplicatur.

Et S. eadem C. respondit:

„Negative et recurrant in casibus particularibus.“

Et ita decrevit n. 4495 ad 6 die 1. Sept. 1804.

Relatis ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo in S. R. C. humillimis precibus Universitatis et Populi Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Diocesis, ac Cleri Saecularis et Regularis ejusdem loci supplicantium pro confirmatione electionis S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab ipso, prout asseruerunt, legitime et juxta praescriptum Decreti S. M. Urbani VIII. die 23. Martii 1630 editi, electi, S. eadem R. C. censuit: scribendum esse pro meliore informatione et juxta adnexam instructionem.

Die 11. Junii 1701.

Instructio pro Vicario Capitulari Civitatis Derthusen. super electione S. Christophori Martyris in Patronum principalem ab Universitate et populo Villae Castulonis Planitiei Derthusen. Diocesis et a Clero Saeculari et Regulari ejusdem loci nuper facta S. R. C. edocturo.

Vicarius Capitularis Derthusen. Sacri Rituum Congregationis instructam reddat super sequentibus:

1. De quonam S. Christophoro intelligatur facta electio, num scilicet de illo, qui coronatus est sub Decio Imperatore et habetur in Martyrologio sub die 25. Julii; an vero de illo, qui coronatus est Cordubae et habetur in Martyrologio sub die 20. Aug.?

Et quatenus de primo: quonam die celebrare intendant ejus Festum, quandoquidem dicta dies 25. Julii est impedita propter Festum S. Jacobi Apostoli?

2. An Consilium sive Congregatio Consiliariorum Villae Castulonis convocata die 3. Oct. 1700 pro electione Sancti Patroni ex aliquo Regio Privilegio ita in omnibus negotiis repraesentet totum Populum et illud magis generale Consilium, nullo umquam tempore in dicto loco congregetur. Cum enim in Decreto generali diei 23. Martii 1630 caveatur, quod de

Patrono Civitatis electio fieri debeat a populo mediante Consilio generali illius Civitatis vel loci, non autem ab Officialibus solum, videtur non sustineri electionem ab istis Consiliariis tamquam Officialibus factam, sed requiri Consilium seu Congregationem magis generalem, quae in dicto loco soleat fieri et in qua deputantur sive eligantur ipsimet Consilarii. n. 3582 die 11. Junii 1701.

In Patronorum sive Protectorum praecedentia servandus est Ordo hierarchiae ecclesiasticae et inter Ord. hierarchicum attendenda est anterioritas in electione.

S. R. C. 11. Mart. 1690.

In S. Patronorum electione fieri non debent promissiones servandi diem Festum Patroni electi tamquam de praecepto, etiamsi ab Ecclesia univers. sub tali ritu non colantur; nam has promissiones et vota non admittit nec approbat, sed rejicit et tantum ex devotione servari posse concedit.

S. R. C. 15. Mart. 1698. In *Theatina et Penn.*

Excipitur tamen Festum unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido vel Pago, ubi hos Patronos haberi et venerari contigerit. Nam tale Festum est de praecepto observandum et expresse statuit Urbanus VIII. Constitution. incip.: *Universa* §. 2.

Excipiuntur etiam electiones Sanctorum Patronorum factae ante emanationem supra allati Decreti Urbani VIII., quia tale decretum, licet irritet electiones postea factas seu faciendas, non irritat tamen electiones jam antea celebratas, ut respondit Sacra Rit. Congregat. in *Trojanensi* Patronat. 15. Junii 1633 et in *Pampilonensi* Patronatus Sancti Francisci Xaverii, in qua fuit approbata electio facta in Comitibus Regni Navarrae; quae resolutio tam-

quam juridica fuit per Rotam, proponente Reverendissimo Decano, approbata, considerato solum, quod ad evitandum praepjudicium electionis antiquissimae S. Firmini, debet uterque tamquam Patronus coli, quod certo praesupponit validitatem electionis: et in *Neapolitana* Patronatus ejusdem S. Francisci sub die 16. Sept. 1656. Et in terminis electionis Patroni, qui ab Ecclesia universali titulo Sancti nondum celebratur, post dictum Decretum fuit observatum in admissione Beati pro tunc et nunc S. Jacobi de Marchia, cujus electio anno 1620 atque adeo ante Decretum editum celebrata fuit et deinde anno 1647 admissa et solemniter repositione statuatae in *Thesaurum Neapolitanum* comprobata.

Edoceri debet Clerus et populus, quod electio Sancti in Patronum non debet fieri ex solo motivo devotionis, sed vel quia loci primus Episcopus fuit vel quia ibi corpus humatum reperitur, quia oriundas et Civis fuit vel quia in necessitatibus mirabiliter populum protexit et adjuvit vel tandem ob alias similes et congruentes causas, quae in Concilio Universitatis exprimi debent, prout expresse ex Gavant. notat. Monacell. l. c. n. 12. afferens insuper Decretum S. C. R. in *Alessanen.* 6. Sept. 1698:

Sacrum Tribunal Rotae in Tarentina celebrationis Festivitatibus super Processione 26. Junii 1754 §. 6. coram Reverendiss. P. D. Canilliac Decano, in medio reliquit: an approbatio (sunt ejus verba) seu confirmatio Apostolica in electione S. Patroni necessaria dumtaxat sit ad certos principales effectus; ex. gr. vel ad effectum recitandi Officium sub ritu duplici secundae classis vel denique ad effectum determinandi Festum de praecepto, quod alias non esset; non autem requiratur ad alios et quoscumque effectus, licet minus principales, qualis

reputatur ille celebrandi cum exteriori pompa et solemnitate diem a S. Sede in honorem ejusdem Sancti consecratam, quum catholicae gentis pietatem ac devotionem fovere quoquo modo deceat ac nutrire.

Illud tamen ex mente ejusdem supremi Auditorii in *Tarentina celebrationis Festivitatibus super Processione* §. 6. certum est, quod, si actus electionis Sancti in Patronum praecesserit Decretum Urbani VIII., quo necessitas haec approbationis Sac. Congregationis Rituum imposita est, ea non requiratur, tametsi actus ille post Decretum hoc fuerit innovatus et confirmatus. Praesumitur itidem haec approbatio S. C. R. ex centenaria observantia, ut firmavit idem Tribunal in *Tarentina celebrationis Festivitatibus super Processione* §. 7.

10) Festivitas et Celebrans.

Vd.: *Festum* (quo ritu etc.).

Diem Festum s. Patroni civitatis esse de solemnibus juxta dispositionem Caerem. (lib. II. c. I.), illiusque celebrationem ad Episcopum et eo absente vel impedito ad primam Dignitatem pertinere. n. 575 die 28. Sept. 1619.

11) Loci.

a) Nominatio in Oratione „A cunctis.“

Vd.: *A cunctis* (Commem. Patroni; decr. n. 4897.).

b) Nomin. in Suffrag.

Vd.: *Suffragia*.

c) Oblig. Cleri saecul. ad Offic.

Vd.: *Suffragia*; *Officium* (recitandum quod ex 2); *Octavae conc.* (Off.)

Ut primum terra a S. Geminiano nuncupata in Etruria in Volatiana

Dioecesi distracta aggregata fuit Coll. Dioecesi, nullo prorsus jure nullaque ratione conveniens usque tunc praestitus s. Geminiano Principi Terrae Patrono cultus sublatus est et incolis terrae illius s. Martialis Festum sub utroque praecepto servandum nuntiatum est: multae extunc obortae quaestiones et parochi et Clerus in diversas abiere opiniones; ex quibus incertus populus dictae Terrae, an et de quo Patrono agendum, nonnihil offensionis passus est. Inde quaeritur: an Festum s. Geminiani Patroni princ. Terrae hujus nominis sit de integro praecepto servandum in dicta terra ejusque districtu?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4605 ad 1 die 27. Mart. 1824.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Species haec erat. Incolae Terrae S. Geminiani Dioecesis Volateranae hunc Sanctum vel ab immemorabili vel ex electione legitime peracta uti principem Patron. venerabantur, diemque ejus nomine sacrum sub integro praecepto recolebant. Postmodum vero, quum eadem Terra a Volaterana disjuncta fuerit Collensi unita, nescio quo jure, cultus, quo prius gaudebat S. Geminianus, exhiberi coepit S. Martiali Collensis Civitatis Patrono. Sed non apud omnes pacifica res fuit et plures inde exortae quaestiones, quia parochi et Clerus in diversas abierunt opiniones et populus in ancipiti positus, quod agendum esset, ignorabat. hinc ad componenda hujusmodi dissidia et ad id, quod in posterum servandum foret, constabiliendum, S. R. C. regata fuit, ut exortis dubiis respondere dignaretur et omnem controversiam sua auctoritate definiret. Et quoniam primum quaesitum fuit: an in dicta Terra ejusque districtu Festum S. Geminiani esset sub utroque prae-

cepto colendum? jure fuit datum affirmativum responsum. Etenim Sa. Me. Urbanus VIII. de observantia Festorum sollicitus in sua Constitutione *Universa per orbem* etc. dat. *idibus Septembris 1642* Festa enumerans sub utroque praecepto servanda, quoad Patronos principales disponit, ut Festum peragatur *unius dumtaxat ex principibus Patronis in quocumque Regno sive Provincia et alterius pariter principalioris, in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos Patronos haberi ac venerari contigerit.* Itaque, si lex Festi celebrationem coarctat ad loci Patronum alterumque Regni vel provinciae, quin illum Dioecesis appellet: plane consequitur civitatem vel locum, in quo peculiaris habetur Patronus, haud debere aut posse, proprio posthabito, festivum agere diem alterius, qui est Protector civitatis episcopalis aliorumque Dioecesis locorum, in quibus alius non est vel ab immemorabili cultu Patronis debito veneratus vel ex universi populi suffragiis legitime in Patronum electus. Id tam verum est, ut, qui specialem habent Patronum, nec ad servandum diem Festum Patroni Dioecesis nec ad ejusdem Officium persolvendum teneantur. Ita S. R. C. in Narnien. 6. Apr. 1658 declaravit: *De Patrono principali civitatis in civitate tantum cum Octava, in Dioecesi vero, ubi non adsit proprius loci Patronus, similiter cum Octava; et ubi colitur Festum peculiaris Patroni, nihil de Patrono civitatis vel, attenda consuetudine, sine Octava, sub duplici majori tantum.* Ita etiam sancivit in Calagurritana 28. Sept. 1558. Igitur vix permittitur, ut de Patrono civitatis et dioecesis, ubi peculiaris habetur, fiat sub inferiori ritu, quatenus adsit consuetudo. Per hujusmodi Decreta declaratur alterum latum in Caven. 23. Maii 1739, quo voluisse videtur S. R. C.

ut de Patrono civitatis fieret etiam per Dioecesim; nam ad dubium: *An de Protectore principali civitatis celebrari debeat Officium cum Octava per civitatem et Dioecesim? respondit: Affirmative tam in civitate quam in Dioecesi.* Nam res erat de locis, quae peculiari Patrono carebant: ideo, ut bene advertit Cavalerius Tom. 1. cap. 3. n. 3., ponenda est limitatio, quod per Dioecesim Patronus civitatis cum Octava coli debet, ubi non adsit proprius loci Patronus; secus autem, ubi colitur Festum peculiaris Patroni. Et ibidem Decret. 6. n. 3.: *hoc ipso, ait, quod peculiaris Patronus alicubi habetur, relate ad ea loca Patronus civitatis patrocinium non gerit et consequenter deperdit titulum, vi cujus Officium sibi vindicat; quapropter, nisi aliunde eidem Officium debeatur, nihil de Patrono civitatis faciendum venit. Quod si civitatis Patronus inter dictorum locorum Patronos adnumeretur, adhuc utique non inter Patronos principales, cum unius loci plures hujusmodi Patroni esse non valeant, sed inter minus principales, et hoc in casu de eo Officium instituendum est sub ritu duplici majori tantum sine Octava etc.* Sensus igitur Decreti est, ut civitatis Patronus gaudeat privilegiis et proaerogativis Protectoribus debitis in iis Dioecesis locis, quae proprium non habent. Ex his patet populum et Clerum S. Geminiani ad hujus Sancti dumtaxat Festum sub integro praecepto servandum teneri, etiam postquam eadem Terra unita fuit Dioecesi Collensi, ut tenebatur, dum ad Volateranam pertinebat. Quod si aliquis adhuc dubitet, omnem dirimunt controversiam literae Apostolicae fel. rec. Pii VII. in forma *Brevis* expedit. sub die 15. Octobris 1818 *super observantia et reductione Festorum pro utriusque Siciliae Regno.* In his enim moderando et declarando,

quae relate ad Patronorum Festa praescripta fuerant in primo Brevi dat. 10. Aprilis ejusdem anni, dum facultas conceditur Episcopis, una tamen cum suis Capitulis, quorum consilio rem perpendere mature debeant, annuendi populorum votis petentium retinere Patronorum festivitates in diebus propriis, quin easdem teneantur in proximum diem dominicum transferre, ad formam generalis Indulti; simul statuitur, quod cum agatur de Patronis Dioecesium, praeceptum Sacro interessendi et abstinendi a servilibus ad eas civitates et loca dumtaxat extendatur, quae, cum non habeant praecipuum et singularem Patronum, tenentur ad celebrandum Patroni Festum sub eadem solemnitate et ritu, quo in civitate peragitur: en verba: *ea tamen lege, ut quando res sit de Patronis Dioecesium, praeceptum non protendatur ultra civitatem principalem vel ultra ea loca, quae, cum peculiari Patrono careant, Festum Patroni Dioecesis ex rubricae praescripto pari solemnitate celebrare tenentur.* Quoniam igitur Terra S. Geminiani hunc Sanctum, cujus nomine decoratur et destinguitur, proprium habet Patronum, veluti habuerat et coluerat, priusquam Collensi Dioecesi uniretur; ideo ejusdem dumtaxat Festum celebrare debet sub integro praecepto cum aliis solemnitatibus, privilegiis, praerogativis, quae principibus Patronis conveniunt.

Ad dubium: An Festum utriusque principalis Patroni status scilicet Camerinen. et uniuscujusque loci celebrandum foret sub utroque praecepto? Et num parochi omnes in praefatis Festis tenerentur applicationi missae pro populo? Ac tandem quid agendum pro hujusmodi applicationibus omissis?

S. C. resp.: Servandum esse de praecepto utrumque Festum et parochos teneri ad applicationem missae